



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Qvæ, & quotuplex sit ratio simplicitatis. Cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Quæ, & quotuplex sit ratio simplicitatis.

CAPVT I.

Simplicitas, vt est communis opinio doctorum, quos infra referam, quoad propriam rationem, qua distinguitur ab essentia diuina, & ceteris attributis, dicit negationem compositionis, quæ est magna imperfectio rerum creaturarum: ideoque sancti, cum de hoc attributo loquuntur, pro eodem accipiunt simplex, & incompositum. Ita loquuntur Irenæus lib. 2. cap. 16. Marius Victor. lib. 1. aduersus Arium circa medium, Basilii lib. 1. contra Eunomium versus finem, Ambrosius lib. 1. de fide Trinitatis cap. 7. Cyrillus lib. 7. de Trinitate ante medium lib. 1. Thesauri, cap. 8. lib. 11. sæpius, & lib. 14. cap. 1. Bernard. lib. 5. de consideratione cap. 7. Damascen. lib. 1. de fide cap. 12. & alij, & ideo, cum priuationes ex formis oppositis agnoscamus, vt propriam simplicitatis rationem inuestigemus, compositionis, seu cuiusuis alterius formæ positivæ illi oppositæ naturam prius agnoscere debemus.

II. In quavis igitur re composita duo considerari possunt, nempe multiplicitas partium, ex quibus coalescit, & vnitas ex earum adunatione resultans: ita vt secundum quandam rationem prioritatis supponatur partium multiplicitas siue actualis, siue potentialis, sequatur autem mutua coniunctio ad vnus rei constitutionem: Itaque compositum duo necessario vendicat pluralitatem partium, & earundem ad sui constitutionem concursum sub aliqua ratione vnitatis. Contra vero simplicitas vtrumque excludit, vt rectè deducitur ex descriptione simplicis tradita à Diuo Basilio lib. 1. contra Eunomium, paulò post medium, vbi simplex, inquit, est, quod non à pluribus constituitur, quibus verbis & rejicit pluralitatem intrinsecam partium, & constitutionem vnus ex ipsis: hæc autem duo mutuo coherent, quamvis ratione distinguantur, quidquid enim re ipsa multiplex est, compositionis est participes: & omne compositum est multiplex: sumitur autem hæc descriptio simplicitatis ab ipsa nominis Etymologia, est enim multiplex nomen compositum ex multo, & plica, & propriè dicitur de velle multis plicis inuoluta, ea vero non nisi à plicis, quæ sunt ipsius partes, multiplex appellatur: eodem igitur modo, quan-

do de rebus alijs per translationem dicitur, de multiplicitate intrinseca rei debet intelligi: & ita omne compositum est multiplex, & viceversa omne multiplex compositum. Ex quo natum est, vt simplicitas modo dicatur opponi pluralitati, vel multiplicitati, vt ab Ildoro *Ildorus.* lib. 1. de summo bono cap. 1. Augustin. *Augustinus.* lib. 6. de Trinitate cap. 6. Gilbert. in 2. *Gilbertus.* lib. Boërij de Trinitate. §. Si igitur interrogem, Richard. de Sancto Victore lib. *Rich. Vist.* 2. de Trinitate cap. 17. Bernard. lib. 5. de *Bernard.* consideratione cap. 7. Cyprisioti de *Cyparisioti.* cad. 10. cap. 8. in fine, Magist. in 1. d. 8. *Magister.* Bonaventur. ibidem in comm. & art. 3. *Bonavent.* quæst. 2. Aureol. quæst. 3. art. 2. & *Aureol.* Aliacen. in 1. quæst. 5. art. 1. litera G. modo *Aliacen.* compositioni, vt communiter auctores alij loquuntur. Et hæc quidem vera sunt loquendo de propria significatione nominis: an vero ex vsu, & accommodatione Doctorum sumatur etiam simplicitas, quatenus opponitur multiplicati extrinsecæ, dicam ad finem capituli.

III. Verum enimvero, cum multiplicitas, & compositio distinguantur ratione, oportet ipsarum differentiam inuestigare, ac videre vtri ipsarum per se primo, ac formaliter simplicitas opponatur. Multiplicitas autem consistit in pluralitate, seu potius in diuisione saltem potentiali aliquorum, vt indicat Diuus Thomas in 1. d. 24. quæst. 2. art. 1. & *S. Thom.* constat ex Aristotele lib. 10. Metaph. text. *Aristot.* 20. vbificat: Duo sunt multa, siquidem duplex, multiplex. Quæ ratio non habet vim nisi ex suppositione, quod multiplex significet multitudinem, & licet vulgo dicatur multiplex tam de multis discretis, quam pertinentibus ad constitutionem vnus, tamen, vt propriè opponitur simplici, accipitur pro multitudine plurium intrinsecè pertinentium ad rationem vnus entis, quod multiplex appellatur, hanc autem multitudinem præcedit diuisio: Etenim sublata omni prorsus diuisione actuali, & potentiali non constat ratio formalis multiplicatis; quod indicauit Augustin. lib. de *Augustin.* speculo cap. 33. loquens cum Deo, vnum, & idem es, quia simplex es, & diuidi non potes; & quemadmodum diuisio opposita vnitati transcendentem continet negationem simul cum affirmatione, qua res dicitur ipsa, & non ipsa, sic etiam diuisio pertinens ad multiplicitem eandem suo modo audit: non tamen ita, vt sit entitas, de qua sit verum dicere quod sit ipsa, & non ipsa, nec enim est impossibile: sed vt sint enti-

tates incompletæ, quarum vnaquæque in ipsa, & non alia, saltem potentialiter: nisi enim adsint eiusmodi entitates sub his affirmationibus, ac negationibus, nequaquam cohæret ratio multiplicatis: quæ, ut constat ex nominis Etymologia, sonat multitudinem intrinsecam subiecto. Porro compositio addit multiplicati coadunationem partium adinuicem, & communicationem sui ipsarum toti composito: ex eo enim, quod partes simul ponantur, & se ipsis integrent totum, dicitur compositio, atque compositum. Ex quibus constat multiplicitem, & compositionem idē prorsus significare, sed diuerso modo: nā multiplicitas significat formaliter diuisionem, seu pluralitatem partium, materialiter vero earundem in toto coitionem: non enim sola pluralitate, absque adunatione intelligi potest multiplicitas: quod sonant verba D. Thomæ in 1. d. 24. quæst. 2. art. 1. ubi, cum dixisset Ecclesiam contra Arium confiteri Deum simplicem, subdit: *et ideo confitetur simplicem, et negant multiplicitem, vel diuisionem, quæ ponit rationem totius, et partis, quæ simplicitati aduersantur*, non quamuis diuisionem ait opponi simplicitati, sed eam, quæ ponit rationem totius, ac partis: & ita multiplicitas simplicitati opposita connotare debet compositionem, sine qua non ponitur ratio totius, ac partis. Contra vero compositio formaliter significat coadunationem partium, ac totius constitutionem, materialiter verò ipsarum multitudinem saltem potentialem, sine qua coadunatio concipi nequit: quod significauit Ferrariensis lib. 1. contra Gentes cap. 18. §. *Sciendum secundo*, cum dixit compositionem importare plurium actus scilicet, & potentia positionem ad esse vnius. Ex dictis facile sumitur propria ratio, & descriptio simplicitatis, de qua nunc agimus; est enim negatio diuisionis vnius entis in plura sub vnicō esse totius: nomine diuisionis non intelligitur actualis separatio, sed distinctio plurium integrantium vnicam entitatē completam, quæ impedit, quo minus totum nō sit omnino indiuisum in se, atque adeo simplex, potest etiam describi negatio multiplicatis plurium entitatum coeuntium ad constitutionem vnius.

IV.

Ut autem pateat quot modis simplicitas accipiat, videndum prius quot sint genera compositionum: sunt autē plura pro varietate, ac distinctione partium, & ratione componendi. Est vero in primis compositio entis per accidens, & entis per se, huius assignari possunt tres generales diuisiones. Prima sumitur ex multiplici varie-

tate partium: habet autem tria membra. Primum est compositio ex partibus integrantes. Secundum ex materia, & forma. Tertium ex pluribus rationibus habentibus inter se habitudinem actus, & potentia: quod vltimum membrum non est ita accipiendum, quasi in cæteris duobus generibus nō intercedat ratio actus, & potentia: hæc enim in omni prorsus compositione interuenire debet, neque enim potest vilo modo coalescere vnum ex pluribus, inter quæ nō est habitudo actus atque potentia: sed intelligendum est cum negatione partium materialium, ita ut sit compositio non physica, aut materialis ex partibus integrantes, sed ex pluribus habentibus rationem actus, & potentia: quod membrum latē funditur, & complectitur plures compositionis modos repertos in rebus tum corporalibus, tum etiam spiritualibus. Secunda diuisio habet duo membra: est enim alia compositio realis, cum totū constat plurib⁹ ex natura rei distinctis: alia vero rationis, cum non sunt in replura actu, vel potentia constituentia vnum, sed est fundamentū plurium rationum efformabilium ab intellectu diuersis conceptibus formalibus. Tertio denique modo diuiditur compositio in actiuam & passiua: quæ ita dicuntur non ex eo, quod interueniat vera actio, aut passio in compositione, non enim partes componenter, quatenus componunt, actionē vllam habent in compositum, sed dicuntur componere actiue totū se, suumque esse illi tribuendo, & integrando eius entitatem, vel rationem formalem, secundum quam est totum: id vero dicitur componi passiue, non quod passio nem aliquam recipiat à partibus, sed quia quodammodo in genere causæ materialis ab illis pendet, nos autē modum causalitatis significare solemus per modū actionis & passionis. Est itaque compositio actiua plurium partium coitio ad constitutionem vnius per se: passiua apparet est integratio, siue constitutio totius ex plurium partium concursu coalescens. Prior à Sylvestro 1. p. quæst. 3. art. 10. initio, & alijs dicitur compositio cum his, à Bonauent. in 1. d. 8. art. 3. quæst. 2. Henric. in sum. art. 29. quæst. 8. compositio cum alijs, quoniam singulæ partes cum alijs actiue componunt totum. Posterior autem dicitur compositio ex his, vel ex alijs, quoniam totum ex partibus omnibus simul sumptis coalescit: à priore modo, siue acceptione compositionis dicuntur partes componibiles cum alijs, à posteriore dicitur totum compositum ab alijs.

Multiplex

S. Thom.

Ferrariens.

Syluest.

Bonauent.

Henric.

V.

Albertus.

Albertus.

VI.

Multiplex vero acceptio simplicitatis magis ex prima diuisione sumitur, quam ab alijs duabus: nam quædam res, tametsi non sint expertes omnis omnino diuisionis, & compositionis, dicuntur tamen simplices: quæ ratione cælum, cum tamen constet quantitate, ac partibus integrantes, dicitur quintum corpus simplex, vel quia non componitur ex elementis, vel quia, ut vult Commentator, non componitur ex materia, & forma: substantiæ quoque separatæ, hoc est Angeli, quia carent compositione physica, & partibus integrantes, dicuntur simplices, nec tamen carent tertia compositione ex actu, & potentia, ut infra constabit. Hac de causa Ferrar. lib. I. contra Gentes cap. 18. §. *Sciendum primo*, simplicitatem diuisit in corporalem & formalem, siue actua-lem: simplicitas corporalis est negatio compositionis vnus corporis ex alio, quæ ratione cælum, & elementa dicuntur corpora simplicia, quoniam non componuntur ex alijs corporibus, ut mista ex elementis, simplicitate vero formali illud est simplex, quod est omnino forma, & actus, nec habet admixtionem vilius potentiæ. Hos, & alios modos simplicitatis enumerat Albertus in I. d. 8. art. 24. ad quæstionem, & in sum. tractat. 4. quæst. 20. membro 2. Ex his vero propriè ad hunc locum spectat omnimoda simplicitas excludens omnem prorsus diuisionem, & multiplicitem partium: an vero simplicitas opposita omni compositioni reali sit propria ac perfecta simplicitas, & vtrum compositio rationis dissoluat rationem simplicitatis, quam inter attributa diuina referimus, infra examinandum est.

Denique simplicitatem, quatenus opponitur compositioni passiue, pertinere per se ad hoc attributum perspicuum est, & certum apud omnes, quos referam num. 8. Notandum tamen propriè simplicitatem, & primario opponi compositioni vnus per se: quoniam diuisio in plura coeuntia ad compositionem entis per accidens per se primo opponitur potius vnitati transcendentali, quam simplicitati: nam per eiusmodi diuisionem existunt multa simplicitates, & dissoluitur ratio vnitatis, quæ supponitur à simplicitate: vnum enim diuiditur in simplex, & compositum: & ita, licet per hanc diuisionem tollatur simplicitas, nihil enim vnum per accidens est simplex, non tamen tollitur per se primo, ac formaliter, sed consequenter, quatenus ea diuisio opponitur vnitati, quæ est fun-

damentum simplicitatis, huic autem per se primo opponitur diuisio in plura secundum quid sub vno esse actuali totius, & consequenter multiplicitas partium, & compositio vnus per se ex multis actu, vel potentia distinctis. Quod addo propter controuersiam Philosophorum circa actualement diuisionem, siue distinctionem partium ab inuicem: nam hoc saltem commune illis esse debet, ut non sint incapaces distinctionis ex natura rei, si enim incapaces eius sint, excludunt omnem diuisionem, ac pluralitatem: & consequenter compositum non erit multiplex, sed omnino simplex, atque adeo non compositum: quod manifestè repugnat.

An vero compositio actiua repugnet simplicitati, dubium esse potest: nam, quamuis ex alijs capitibus repugnet Deo, non tamen videtur repugnare simplicitati: quoniam simplicitas verè, ac propriè loquendo non dissoluitur nisi compositione intrinseca partium, est enim modus vnitatis rei in se: compositio autem cum his nequaquam opponitur simplicitati, sed alijs perfectionibus: neque ab eius negatione res dicitur absolute simplex, sicut à negatione compositionis intrinsecæ: nam materiam, & formam absolute appellamus simplices, quia carèt compositione ex his, quamuis sint capaces compositionis cum his: substantiam vero completam, etsi non sit componibilis cum alia substantia, simplicem nequaquam dicimus: at vero secundum formam, aut negationem, à qua res non denominatur talis, non potest fieri comparatio penes magis, aut minus.

Nihilominus doctores communiter requirunt ad perfectam simplicitatem priuationem compositionis actiue. Ita expresse Alenf. I. p. quæst. 5. m. 3. & 2. p. quæst. 12. m. 1. Albert. I. p. tractat. 4. q. 20. memb. 3. S. Thom. in I. d. 8. quæst. 5. art. 1. Sanctus Bonaventura art. 3. quæst. 2. Aegydius 2. p. secundæ partis principalis quæst. 1. Henr. in sum. art. 29. quæst. 8. Richard. in I. d. 8. art. 3. quæst. 1. & d. 24. art. 3. quæst. 3. ad tertium, Scotus d. 8. quæst. 2. Aureolus q. 4. art. 1. & 3. Mayron. quæst. 7. art. 1. I. p. articuli, Bassolis quæst. 2. art. 1. Holkoth quæst. 6. lit. D. Andreas de Nouo Castro d. 8. quæst. 2. initio Alliacensis quæst. 5. art. 1. lit. G. Gabriel d. 8. quæst. 7. art. 3. dub. 2. Heruæus quæst. 2. ad secundum. Major q. 3. in fine. Et est de mente Sanctorum Patrum, quos paulò post referam qui componibilitatem subiecti cum accidentibus repugnare censent diuinæ simplicitati, sed

VII.

VIII.

Alenf.

m. 1. Albert.

S. Thom.

S. Bonavent.

Aegydi.

Henricus.

Richard.

Scotus.

Aur. ol.

Mayronius.

Bassol.

Holkoth.

Nouo Castro.

Alliacensis.

Gabriel.

Heruæus.

Major.

operæ pretium est inquirere, quomodo componibilitas vnus cum alio simplicitati opponatur: nam hæc, vt iam dixi, est modus vnitatis: vnitas autem solum est indiuisio substantiæ rei, quæ dicitur vna, & consequenter simplicitas debet esse solum negatio compositionis intrinsecæ rei, quæ dicitur simplex; & quidem si in rigore loquendum sit, ita dicendum esset, vt etiam concludere videtur argumentum paulò ante adductum. Duæ tamen sunt rationes, cur doctores ita loquantur, altera est, quoniam considerant totum id, quod aliquid est: at vero homo verbi gratia non solum est animal rationale, & cætera, quæ vendicat intrinsece, atque essentialiter, verum etiam albus, doctus, iustus, prudens, & sic de cæteris, quorum esse participat per compositionem cum formis accidentarijs, & quia horum omnium est esse multiplex, ideo homo ratione eorum dicitur multiplex saltem denominatiue. Hæc tamen ratio solum habet locum in substantijs, de quibus propriè loquuntur Patres citandi, & ideo secunda ratio congruens omni prorsus entitati creatæ est, quoniam vera, ac propria componibilitas cum alio arguit compositionem intrinsecam entis componibilis alteri, non quidem semper realem, sed saltem rationis secundum modum actus, & potentiæ: nam omne naturaliter componibile alteri est in potentia ad esse perfectum totius: & ita est actu secundum propriam entitatem, & existentiam, ratione cuius est componibilis: respectu vero esse totius participandi per compositionem cum alio est in potentia, &, quamuis ista potentia, & actus reperta simul in eadem re componibili non differant realiter, & consequenter non conflatur ex ijs compositio realis, existit nihilominus compositio rationis ex genere earum, quæ opponuntur summæ simplicitati. Ex quo patet solutio ad rationem dubitandi supra positam: namque vt infra dicam, nulla est omnino res creata, quæ non sit componibilis alteri aliquo genere compositionis: & idcirco, si sit etiam intrinsecè composita, vt sumitur in argumento, in quo fit mentio substantiæ compositæ, non habet, vnde queat denominari simplex.

IX.

Verum, cum dupliciter concipi possit aliquid componibile alteri, nimirum concurrente simul cum eo ad constitutionem vnus, vel per se, vel per accidens, dubium est, an vtraque ratio componibilitatis repugnet simplicitati. In qua re in primis est certum apud omnes Scholasti-

cos simplicitati diuinæ repugnare receptionem accidentium, & ita docent communiter Patres Athanasius Epistola ad Episcopos in Africa versus finem. Deum esse simplicem substantiam, in qua nulla est qualitas; Ambrosius lib. I. de fide Trinitatis cap. 7. Deus natura simplicis non coniuncta, atq; composita, cui nihil accidat, Anselmus in Monolog. cap. 24. Summa natura accidentibus mutationem efficientibus nunquam in sua simplicitate locum tribuit. Origenes lib. I. Periarchon. cap. I. Intellectualis natura simplex nihil omnino in se ad iunctionis admittens. Augustinus libro II. de Civitate cap. 10. diuina ideo dici simplicia, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia, & lib. 6. de Trinitate cap. 6. probat solum Deum esse simplicem, quia solus receptione accidentium mutari non potest. Hoc posito dubitari potest, an hæc receptio repugnet simplicitati quatenus per illam constituitur vnum ens per accidens, an præcisè, vt sunt plura. Alliacens. in I. quæst. 5. art. I. littera G. solum priorem modum componibilitatis admittit, quem ait communem, ac possibilem esse omni creaturæ: quoniam non repugnat, vt quæuis substantia verbi gratia Angelus esset componibilis alteri, ita vt ex vtroque fieret vnum scilicet per se, de hoc enim loquitur. Posteriorem vero negat, quoniam ex compositione, quam alij vocant per accidens, non fit vnum: & ita, licet ratio entis per accidens repugnet cum simplicitate, censeret non pugnare ratione componibilitatis, sed ratione pluralitatis essentialis eorum, quæ per accidens adunantur, & ad hunc sensum interpretatur D. Augustinus superius citatum: idque colligit ex eo, quod Augustinus eodem cap. 6. lib. 6. de Trinitate, ideo ait animam non esse simplicem, quoniam in ea aliud est cupiditas, aliud timor, aliud læritia, aliud iustitia, &c. Hæc tamen Alliacens. doctrina, quatenus admittit quamuis substantiam completam in genere substantiæ, verbi gratia, Angelum venire posse cum alia re ad constitutionem vnus entis per se in genere naturæ, est falsa, & contraria Philosophiæ, cuius est oppositum demonstrare: quatenus vero negat componibilitatem ex subiecto, & accidente, etiam repugnat veræ Philosophiæ: repugnat enim esse vnum ex pluribus absque compositione, at vero vt dictum est in tractatu de vnitate, vnum diuiditur in vnum per se, & per accidens: ergo hoc necessario exigit compositionem, & supponit componibilitatem partium, verè enim

simul

simul ponuntur, & coalescunt in vnum aliquo modo. Et confirmatur, quoniam secundum Philosophum libro quinto Metaphys. text. 16. idem pertinet ad vnum, & identitas in vnitatem fundatur, inter modos autem identitatis à Philosopho ibidem numeratos, primus est, quo aliqua dicuntur idem subiecto, hæc autem identitas non potest fundari nisi in vnitatem per accidens: & hæc est sententia Patrum ideo negantium Deo habitus, & habilitates, & distinctionem inter id, quod est, & quo est, & inter quod habet, & quod habetur, ne compositus concedatur. Ita sanctus Maximus centuria quart. capit. octau. quem refert Cyparissiotæ de cade 10. cadit. prim. *Ne quæras habitus, & habilitates in simplici, & infinita substantia sanctæ Trinitatis, ne eam facias compositam, sicut creaturas: quod quidem in Deo cogitare absurdum, & nefarium est; & Athanasius in Apologetico pro Synodo Nicæna apud eundem, blasphemum vocat, si quis existimat Deum esse compositum, ut quod ex substantia, & accidente compositum est.* Et Iustinus Martyr in responsione 144. ad Orthodoxos, *non enim ad instar creatæ naturæ Deus est, ut id, quod sit, & id quod habeat per compositionem intelligatur sicut natura creatæ.* Quæ ratione supponunt ex habitu, & habente fieri compositionem simplicitati contrarium, atque adeo subiectum distinctum ab habitu, siue forma habita componi cum illa, quod recte docuit Gilbertus Pictauiensis Episcopus in libr. Boetij de hebdomadibus super regulam octauam. Idem vero supposuit Diuus Augustinus: voluit enim pluralitatem rerum opponi simplicitati cuiusvis partis: alioquin ex eo, quod in anima cupiditas, timor, ac læritia essent aliud, & aliud, non sequeretur ipsam animam non esse simplicem, sed solum aggregatum ex illis pluribus simul sumptis: Augustinus autem ex multarum passionum coitione probat animam esse compositam: supposuit itaque, vnicuique est aliud, & aliud, esse compositionem, & singulum ipsorum, quæ veniunt in compositionem, non esse simplex: quia est componibile, siue compositum cum altero: quod clare elicitur ex dictis eius libro quinquagintaquinque humiliarium homil. trigessim. secund. ad finem ubi sic dicitur: *Videre enim verbi, si videas forte in eo, quod vides videre verbi, ipsum verbum videre, & non aliud sit verbum, aliud videre verbi, neque sit aliquid coagmentatum, & copulatum, & duplex, & compaginatam, simplex enim ali-*

quid est ineffabili simplicitate, non quemadmodum homo aliud est homo, aliud videre hominis, ubi ideo negat aliud esse verbum, aliud videre ipsius, ne verbum sit coagmentatum, copulatum, & compaginatam, quæ verba vtrique sonant compositionem: si vero aliud esset verbum, & videre ipsius, non esset alia compositio, quam subiecti, & accidentis. Et ita patet cum Augustinus loco citato ex libro de Trinitate animam simplicem negat, quia in ea est aliud timor, aliud cupiditas, & cæc. implicite admittere compositionem, & ita de sententia horum Patrum, & communis scholasticorum, quos superius citavi, etiam componibilitas subiecti cum accidentibus est opposita simplicitati.

Ex dictis constat explicari simplicitatem per compositionis actiue, & passivæ negationem, quam in simplicitate Doctores communiter agnoscunt. Verum difficultas est, an hoc attributum præter negationem inuoluat rationem aliquam positivam, quæ nomine simplicitatis indicetur, Franciscus Lyche-
tus in prim. d. octau. quæstion. 1. §. Respon-
deo, & Bargius eadem quæstione volunt
importari, quoniam censent esse perfe-
ctionem simpliciter, quæ nequit in nega-
tione consistere. Pro eadem sententia re-
ferri possunt Henricus in summ. artic. 28.
quæstion. 1. & Bonavent. in 1. d. 8. artic.
3. quæstion. 2. ad primum, quatenus docent
simplicitatem esse quandam vnitatem, ipsi
enim existimant vnitatem quamvis per
negationem explicetur ut magis notam,
tamen significare principaliter aliquid po-
sitivum, ut præced. tractat. capit. 1. retuli.
Contra vero Bassolis in 1. d. 8. quæstion. 2.
artic. 3. ad primum principale, Caietan. ca-
pit. 2. de ente & essentia in comment. post
tertiā quæstionem, Sylvest. quæstion. 3.
conflati initio, & Molina 1. p. quæstion. 3.
artic. septim. disputat. secund. eo ipso ne-
gant perfectionem simpliciter, quia negatio
est, quæ non addit aliquid pertineus
ad rationem entis. In hac quæstione cer-
tum est simplicitatem saltem de conno-
tato dicere aliquid positivum, aliter pos-
set etiam dici de non entibus, quibus con-
uenit negatio compositionis: de ijs enim
affirmantur negationes, quæ non conno-
tant ens, dubium superest de significato,
per quod distinguitur ab alijs attributis,
circa quod sentio cum doctoribus circa-
ris, & Aureolo in 1. d. 8. quæstion. 3. artic.
2. & Mayronio quæstion. 7. artic. 1. initio,
simplicitatē, quatenus est attributum ab
alijs distinctum, significare solā negationem

X.

Lyche-

Bargius.

Henricus.

Bonavent.

Bassol.

Caietan.

Sylvest.

Molina.

Aureol.

Mayron.

compositionis. Ratio est, quoniam non assignabitur ratio positiua à cæteris distincta, in qua consistit ratio simplicitatis: maxime, quia simplicitas, ut initio dixi, est modus quidam unitatis perfectæ: unitas autem non addit rationem positiuam distinctam à ratione entis: & si præcisa quauis alia ratione formali positiua concipiamus substantiam alicuius rei, cum sola negatione compositionis, habemus notionem simplicitatis. Ex quo etiam, patet vtrum perfectio positiua, quam simplicitas connotat, sit substantialis hoc est, concepta per modum substantiæ, siue essentiæ, an attributalis: dicendum quippe est esse substantialem: quoniam, ut patet ex dictis, est modus unitatis, quæ immediate competit essentiæ, qua essentia est, ante omnem rationem attributalem: atque adeo non est vlla ratio attributalis positiua nostro intelligi modo prior simplicitate, semper autem subiectum à negatione connotatum est prius ipsa. Et hoc modo intelligi debet Caietanus prim. part. quæstione vndecim. articul. prim. quatenus vult simplicitatem esse modum essentialem, & non attributum, ut enim sibi non contradicat, intelligi debet de ratione connotata, non de formaliter significata. At cum essentia diuina, etiam sub præcisa ratione essentiæ, vendicet plura prædicata, verbi gratia rationem substantiæ, spiritus, vitæ, & similia, quodnam ipsorum censetur esse immediata ratio, ac fundamentum huius negationis? Respondeo esse rationem actus puri, siue entis per essentiam, quæ est doctrina sancti Augustini libro vndecim. de ciuitate capit. decim. vbi indagans rationem simplicitatis sic ait: *Propter hoc itaque natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere, vel aliud sit habens, aliud quod habet*, quibus verbis explicat rationem actus puri, ac per essentiam, prioribus ratio actus puri: nam soli naturæ, quæ est actus purus, non est aliquid habere, quod possit amittere, vbi n. est permissio potentialitatis, est etiam non repugnantia, ut amittatur id, quod habetur: posterioribus vero ratio entis per essentiam: in solo enim ente per essentiam non est aliud habens, & id, quod habet. Quod clarius adhuc expressit eodem capit. ad finem his verbis: *Secundum hoc ergo dicuntur illa simplicita, quæ principaliter, verèque diuina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia: nec aliorum participatio- ne vel diuina, vel sapientia, vel beata sunt.* Ne-

gatio aletatis secundum perfectiones non nisi in ratione actus puri fundatur, qui impermiste, & in confusè est totum, quod est: negatio etiam participationis non nisi in essentia conuenire potest. Ex quibus patet simplicitatem, quatenus est attributum ab alijs distinctum, in sola compositionis negatione consistere, an vero sit perfectio simpliciter, cuius occasione authores dubitant de significato eius formali, dicam ex instituto libr. 4. tractat. de perfectione Dei, vbi explicabo vtrum negationes possint habere rationem perfectionis simpliciter.

Deus est omnino simplex, & expers compositionis realis passiuæ.

C A P V T II.

D eum esse omnino simplicem est certa fide tenendum, nam, quamuis non cõrteatur expresse in sacris literis, habetur tamen ex diffinitione Concilij generalis Lateranensis 4. & refertur capit. firmiter, de summa Trinitate, vbi diffinitur Deum esse vnā essentiam, substantiam, siue naturam omnino simplicem. Consentiunt Patres præter relatos capite præcedenti, & inferius referendos capite decimo quinto, Deum dicit simplicissimum Cyrill. Alexandrin. libr. decimotertio Theaur. capit. secund. & libr. decimoquarto capite 1. & 3. summe simplicem Augustinus libr. sext. de Trinitate capit. 6. & libr. septim. capit. prim. Richardus Victor. libr. secund. de Trinitate capit. decimoseptim. & 20. & libr. 5. capit. 1. mere simplicem Bernard. li. 5. de considerat. capit. 7. primum, & purissimum simplex, idem Bernardus sermon. 81. in Cantic. initio, super omnem simplicitatem Theodorus Cypari. Theodorus siotam decad. decim. capit. quart. & Athanasius Dialogo primo de Trinitate non longe à principio: consensit tota Theologorum schola: qui, licet dissentiant in explicanda ratione simplicitatis diuinæ, nihilominus absolute eam tanquam ex fide certam tradunt, ac defendunt. Potest vero etiam mediate deduci ex sacris literis argumētis à priori ac posteriore. A priori quidē ex eo, quod Deus Exod. 3. dicitur *qui est*, quo verbo, ut in superioribus ostendi, significatur summa actualitas essendi, ita ut Deus sit ipsum esse suum, cum summa vero actualitate cõpositio passiuæ

realis

Caietanus

Augustinus

I.

Conc. Lateran.

Cyrrill. Alex.

Augustinus.

Richard. Vi.

Bernard.

Theodorus.

Cypar. siot.

Athanasius.

Exod. 3.